AUTHOR:

LOTZBECK, J. CARL WILHELM

TITLE:

ANIMADVERSIONES IN ALIQUOT LOCOS...

PLACE:

BARUTHI

DATE:

1829

Master Negative #

93-81277-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Lotzbeck, J Carl Wilhelm,
...Animadversiones in aliquot locos Ciceronis orationis pro P. Sextio. Baruthi, typis Birnerianis, 1829.
8 p. 27½ cm.

At head of title: Actus solennes Gymnasii regii Baruthini... indicit J. Carolus Guilielmus Lotzbeck...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4-13-93 INITIALS JAMES

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

ACTUS SOLENNES
GYMNASII REGII BARUTHINI

CALENDIS SEPTEMBRIBUS

RITE HABENDOS

RECTORIS COLLEGIIQUE NOMINE

INDICIT

J. CAROLUS GUILIELMUS LOTZBECK,

GYMNASII PROFESSOR.

PRAEMITTUNTUR ANIMADVERSIONES IN ALIQUOT LOCOS CICERONIS ORATIONIS PRO P. SEXTIO.

BARUTHI.
TYPIS BIRNERIANIS MDCCCXXIX.
1829

CAP. 1.

„*Eos autem, qui omnia divina et humana violarint, vexarint, perturbarint, everterint, non solum alacres laetosque volitare, sed etiam voluntarios fortissimis atque optimis civibus periculum moliri, de se nihil timere.*“

Ernestius ad hunc locum adnotat: „*Voluntarios* verum esse non potest: est enim ineptum hoc dicere, cum intelligatur per se. A quibusdam Mss. et edd. abest. Ed. Juntae habet *voluntario*. Si quid hic Cicero volebat addere sententiae, debebat esse *ultro*, quod eleganter dicitur pro *insuper*; saepeque in insolentia hominum exprimenda adjicitur, ut ap. Terent. Eunuch. V, 2 *atque etiam ultro derisum venit*. In eo verbo librarii interdum haesere. Atque sic puto Ciceronem scripsisse et in ejus locum venisse notam adscriptam a glossatore, *voluntario*, vel *voluntarios*, qui nullam hujus verbi vim aliam callebat, quam illam vulgatam.“ Ernestio assentiuntur Wolffius et Schützius.

Müllerus in hujus orationis editione lectionis *voluntarios* potrocinium suscipit dicens: „*Voluntarii* sunt ii, qui nulla necessitate coacti, sed libenter et sua voluntate impulsi optimis civibus periculum moliuntur.“

Non possum, quin huic interpretationi assentiar, locos comparans, quibus Cicero semper disertis verbis hominem voluntarium, qui sua sponte aliquid agit, homini necessitati coacto, et qui invitus ad rem aliquam agendam aggreditur, opponit, et mihi in memoriam revocans, Ciceronem in Divinatione ad Caecilium saepius se excusare, quod descenderit ad accusandum, quum adhuc omnem operam atque diligentiam in defendendis (repellendis) amicorum periculis consumserit, nam hoc nos vocare in hominum odium et esse adolescentium et levium hominum. Loci ex Divinatione, qui ad nostram sententiam probandam faciunt, hi sunt: Cap. 2. — „aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque *officio coactus ad accusandum traducerer*“: ibidem, etc. „quam ob rem, si mihi unus est accusandus propemodum manere in instituto meo videor et non omnino a defendendis hominibus

sublevandisque discedere." Cap. 7. „Videt enim, si a pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si a quadruplatoribus, quos non sine causa contempsit semper, ac pro nihilo putavit, *accusandi voluntas ad viros fortes spectatosque homines translata sit*, se in judiciis diutius dominari non posse." Optime etiam collatus est a Müllero locus ex Quintiliani Inst. Or. II., 1.: „nam sine dubio in omnibus statim accusationibus hoc agendum est, ne ad eas *libenter* descendisse videamur."

Loci, ubi homo voluntarius homini necessitate coacto opponitur, sunt: p. Sex. Roscio Am. 32: „sed in animo est, quemadmodum ante dixi, leviter transire ac tantummodo perstringere unamquamque rem, ut omnes intelligant, me non *studio* accusare, sed *officio* defendere. Off. 1, 9, 18.: itaque eos ne ad rempublicam quidem accessuros putat, nisi *coactos*. Aequius autem erat, id *voluntate* fieri; p. Ligar 3.: suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex magna parte, *nulla re coactus, judicio ac voluntate* (aus freiem Entschluß und eigener Wahl) ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te; Brutus 4: mihi quoque, inquit Brutus, exspectanda sunt ea, quae Attico polliceris, etsi fortasse ego a te hujus *voluntarius* procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommodo exacturum negat. Phil. XIII., 13: est etiam Asinius quidam senator *voluntarius* — lectus ipse a se; I. 1.: nemo illorum inimicus mihi fuit *voluntarius*, omnes a me reipublicae causa lacessiti (animadvertenda est his duobus locis significatio activa et passiva vocabuli voluntarius): X. 9: an, quum illum *necessarium* et *fatalem* paene casum non tulerimus, hunc feremus *voluntarium?*" Pari modo usurpatur *sua sponte* et *sponte*, quae opponuntur *necessario* et *invito*: cf. cap. 56 hujus orationis; Phil. IV, 3: possum respondere te, quae facias, tuo judicio ac *tua sponte* facere; Part. 37: qui *sua sponte* et *voluntate* fecissent. Plin. Epist. V, 15. F. A. Wolf ad or. post. red. in sen. pag. 14. Sensus igitur hujus loci est: Nefaria istorum hominum audacia ex eo maxime cognoscebatur, quod non propter suam et reipublicae salutem et non lacessiti ut Cicero aliique optime de patria meriti viri, sed *sua sponte* ac *voluntate* optimos quosque atque innocentissimos viros lacessebant atque in capitis discrimen adducebant.

CAP. 3.

„*Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quam multa ad me detulerit.*"

Manutius hunc locum interpretatur: „Quia, quum sit quaestoris et consulis maxima necessitudo, videtur ab officio Sextius discessisse, qui consilia sui consulis alteri

consuli prodiderit. Vel expone sic: non explicabo, quaecunque ad me Sextius detulit; quia contra officium videar fecisse, si, quae Sextius ad me secreto detulit, ut optius reipublicae saluti, quam consulis sui voluntati satisfaceret, ea nunc omnia commemorem. Alteram interpretationem praetulit Müllerus, ego autem cum Ernestio praefero priorem, maxime hoc loco adductus, qui legitur ad Div. XIII., 10: Satis commendatum tibi cum arbitrabar ab ipso, qui, ut te non fugit, hanc quaesturae conjunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse. Wolf. ad or. p. red. in sen. p. 71.

CAP. 4.

„*Recita, quaeso, — quid decreverint Capuae decuriones; ut jam puerilis tua vox possit aliquid significare inimicis nostris, quidnam, quum se corroborarit, effectura videatur.*"

Codices et veteres editiones fluctuant inter *puerilis* et *virilis*. Müllerus in sua editione revocavit lectionem *virilis* putans, „vocabulum *puerilis* ex interpretis glossa, qui fortasse ad vocem *tua* adscripserat, *pueri*, in orationem transiisse; nam sententia vulgatae lectionis est aptissima: ut vox tua, quae nunc jam virilis est (non pueri, sed viri esse videtur) inimicis nostris significet, quid, si adulta aetate se corroborarit, ubi ea in iis accusandis usus fueris, effectura sit." Ego recipio lectionem puerilis et conjungo *jam* cum significare; nam sensus hic mihi esse videtur: quamquam Sextii filius adhuc puer est, tamen vox ejus jam significat, quid effectura sit.

Qua lectione recepta, bene se habent voces *aliquid*, quod Müllerus pro *aliquo modo* usurpatum esse multis locis probat, et *corrobararit*, quia non est, quod vox virilis amplius se corroboret.

CAP. 4.

„*Sed recito memoriam perfuncti periculi, praedicationem amplissimi beneficii, vicem officii praesentis, testimonium praeteriti temporis.*"

Wolffius in animadversionibus, quas translationi hujus orationis addidit, lectionem *vicem officii* etc. tuetur et ita interpretatur: „Incolae Capuae beneficium aliquando a Sextio in se collatum praesenti tempore reddere volunt", et conjungit vocabulum praesentis non cum officii, sed cum temporis, verbum e verbo vertens: den Wechsel des Dienstes der gegenwärtigen Zeit." Ernestius putat, officium praesens significare gratiae relationem per officium, quod praesens tempus postulet. Sed vix credam, hanc vim his verbis inesse. Lambinus conjecit *vocem*, quam conjecturam vicinis verbis, *prae-*

dicationem, *testimonium* maxime convenire Ern. putat. Lamb. sequutus est Schützius, qui vocabulum *vocem* in textum recepit. Müllerus, cui vox *officii* valde displicet, primum, quod non videt, quale sit hoc officium, deinde, quod antea orator negaverat, officio aliquo vicinitatis, clientelae, hospitii publici, hoc decretum expressum esse suspicatur, Ciceronem scripsisse, *vocem praesentis, testimonium praeteriti temporis*, omissa voce *officii*. Quum constet, litteras *i*, *o* et *a* in codd. manuscriptis saepe inter se mutatas esse, cf. Bremi de Fato pag. 5, Kühner ad Tusc. III. 29, recipio equidem *vocem*, sed non audeo, tentare verbum *officii*, quod, ut ex Orellii editione patet, omnes codices constanter sine ulla varietate praebent. Ad nostram lectionem probandam multum conferet Cic. Phil. I, 4 — „sed ut, si quid mihi humanitus accidisset, hujus diei *vocem* testem reipublicae relinquerem," ubi Cic. vocabulo *vocem* simili sensu utitur; quamobrem locum ita explicandum puto: Decuriones Capuae adsunt, ut gratum suum animum atque benevolum testificentur atque polliceantur, se praesenti tempore omnia pro Sextio facturos esse atque perlaturos; nam officium et adjectivum officiosus significant saepius nostrum Dienstbeflissenheit, Dienstfertigkeit, dienstfertig, ut ad Div. III, 9: quod verbum in istis litteris est non plenum humanitatis, *officii*, benevolentiae; in Verr. I, 24: Lampsaceni in omnes cives Romanos officiosi; pr. Rosc. Am. 1: at tanto officiosior, quam ceteri; ad Fam. I. 22: homo officiosissimus.

CAP. 8.

„*Puteali et feneratorum gregibus* i n f l a t u s *atque* p e r c u l s u s, *olim, ne Scyllaeo illo aeris alieni in freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat.*"

Antequam de conjecturis, quibus hic locus tentatus est, agamus, sensus nobis explanandus esse videtur.

Gabinio, aere alieno propter luxuriam oppresso atque obruto, nihil intentatum relinquendum erat, ut eo solveretur. Itaque tribunatum petiverat, cujus praesidio tectus, aliquamdiu a creditoribus atque feneratoribus tutus erat, quia propter hujus magistratus sanctitatem in jus vocari non poterat. Eodem consilio postea consulatum petiverat, ex quo, si non auctoritate senatus, certe auxilio operarum in opulentam provinciam abiret, ut ejus opibus rem familiarem restitueret. Hanc conditionem atque hoc consilium Gabinii Cicero festive exprimit per similitudinem. Comparat enim Gab. cum homine, qui in alto navigans et maxima tempestate oppressus, summa ope atque vi nititur, ut portum capiat, ne scopulis illidatur, neve in Scyllam aut Charybdim,

navigantibus pariter periculosas, incidat. Haec imago nostro loco eo magis convenit, quod, quemadmodum ad columnam Maeniam, quae in foro fuit, de malis debitoribus, qui rei familiaris naufragium fecerant, judicia periculosa a triumviris habebantur, sic in freto Siculo haud procul ab urbe Rhegio scopulus erat, quae columna Rhegia nominabatur, apud quem naufragium facile fieri poterat, quique hanc ob causam navigantibus non minorem injiciebat terrorem, quam debitoribus columna. Hunc hujus loci sensum esse si demonstravimus, sequitur, ut lectio *inflatus* vera sit: nam puteal et greges feneratorum sunt quasi venti et tempestates, quibus Gabinius inflatur atque jactatur et quibus resistere cogitur, ne demergatur. Etiam Orellius lectionem inflatus recepit et haec adnotavit ejus firmandae causa. „Mihi, quum in tota imagine venti notio manifesto insit in verbo inflatus maxime conveniens alteri adhaerescendi notioni, lenissima mutatione sic legendum videtur: *suae* (e cujus ultimis litteris praepositionem depromo) *a puteali et fen. gregibus inflatus atque compulsus* (potius quam perculsus)." Quae mutatio vocabuli perculsus in compulsus mihi non necessaria videtur, quia voce *perculsus* antecedens *inflatus* augetur et Cicero impetum et importunitatem debitorum describit, quae tanta erat, ut Gabinius stare vix posset.

Simili ratione utitur hoc vocabulo Cic. in huj. or. cap. 67: „ceteri aut repentina vi *perculsi* ac tempestate populari, per populum tamen ipsum recreati sunt atque revocati." Tusc. III. 27: „Existimant enim, diis immortalibus facilius se satisfacturos, si eorum plaga *perculsi* afflictos se et stratos esse fateantur."

Inter omnes conjecturas ea, quam Ernestius proposuerat, *jactatus*, ad verum proxime accedere videtur, quia jactari saepe de iis dicitur, qui in mari ventis agitantur, cf. Virg. Aen. I. 3.

Multum ille et terris *jactatus* et alto
Vi superum.

Infestatus, quod auctore Heindorfio ad Hor. Sat. II. 6, 35. Müllerus recepit, nitens auctoritate Velleji II. 73, mihi interpretatio lectionis difficilioris esse videtur. Quomodo *infractus, inflictus, afflictus* aliaeque conjecturae cum reliquis hujus loci verbis conjungi possint, non video.

CAP. 8.

„*Vestitus asper, nostra hac purpura plebeja ac paene fusca; capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imaginis* o r n a n d a e *causa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur.*"

Müllerus cum Abramo *formandae* recepit, qui, ut firmaret lectionem *formandae*, haec adnotavit: „festivior fuerit oratio, si dicatur Piso gessisse duumviratum, ut disceret formare suam imaginem in minore illo magistratu, ut ea jam formata et ad pompam majestatemque composita ad consulatum accederet.“ Turnebus legit *ornandae*, quod Schützius et Orellius in textum receperunt. Persuadere mihi non possum, hanc lectionem falsam esse, si mihi in mentem revoco jus illud Romanorum, ex quo in aedibus suis imagines ponere iis concessum erat, quorum parentes atque majores curulem magistratum gesserant. Arrogantia igitur Pisonis eo magis ridenda erat, quia honores, quibus quisque functus erat, his imaginibus subscribebantur, ut eorum virtutes ac res gestas, quorum imagines positae erant, non tantum legerent posteri, sed etiam imitarentur, c. Liv. III. 58. „Appius Claudius, vir honoratissimae imaginis apud posteros.“ Cic. p. Rab. Post. cap. 7 „sella curulis, fasces, imperia, provinciae, sacerdotia, triumphi, denique imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita“; et quia magistratus coloniarum, aut praefecturarum aut municipiorum non ejusmodi erant, qui nobilitatem illustris familiae Romanae, quales Pisones, hoc excepto, erant, ejusque imagines ornare possent.

Cf. Sueton Aug: „Avus municipialibus magisteriis contentus, abundante patrimonio, tranquillissime senuit“, ubi Bremi adnotat: Die municipalia magisteria aller Art sind etwas Kleinliches gegen die magistratus urbis.

Comparationem Pisonis cum actore, qui se suamque personam ad fabulam agendam praeparat, etiam hanc ob causam probare non possum, quia Pisonis nihil interesse poterat, quo vultu aut qua corporis forma Romae consulatum gesturus esset, quod descriptio ejus in hoc capite satis superque demonstrat.